

rum: respondet ipse abbati, nescire se id: « Neo enim plus aliis jejuno, inquiebat, nec aliis se- verius corpus emacero; nec protractiores aliis orationes fundo, neque demum plus aliis vigilo. Unum hoc scio et assevero, me nec rebus pros- peris efferri, nec deprimi adversis: nihil me om- nino rerum mundi hujus inquietare aut turbare, vereque deprehendo animam meam in rebus omnibus tam meis, quam aliorum consistere semper immotam. » Cui abbas: « Sed numquid non sensisti turbationis quidpiam cum nuper nobilis iste adversarius noster, injecto in hor- reum nostrum igne, illud exussit? Nihil, inquit ille, sed commisi Deo omnia, ejusque voluntati me penitissime obtuli. » Cognovit ex hoc abbas, hanc fuisse mirabilem istorum causam, apud P. Rodriq. p. I. exerc. tr. VIII. c. VIII.

IV. Tranquillo semper animo est, quia nullam agnoscit fortunam, proinde neque metuit ullos fortunæ casus adversos; scit enim Dei providen- tiam perpetuo sibi invigilare ab eaque proficisci omnia, quæ sibi contingunt, nec ad perniciem, sed ad salutem dirigi. Deum novit esse peritissimum navarchum suum, qui omnes tempestates et fluctus in manu sua habeat; unde in ejus navi secure cum Christo dormit. Solum peccatum et Dei offensam metuit: absque hac non *contrista- bit justum, quidquid ei acciderit*, inquit Sapiens, Prov. XII. Non caret justus rebus adversis, sed iis non concutitur, imo in illis lætatur, sciens eas sibi ad virtutis exercitum a Deo immittas. Ut enim mare non perdit saporem suum salsum, quantumvis plurima et ingentia flumina dulcis aquæ influant in illud, ita neque justus immu- tatur adversis. In summo vitæ periculo et sæ- vissima maris tempestate S. Paulus navigans, aliis præ metu abstinens cibum sumpsit, idemque cæteros facere et bono esse animo jus- sit, quia videlicet promiserat ei Deus in gratiam ipsius neminem periturum, Act. XXVII. Eadem spe suffulti sunt, qui se Deo committunt. S. Petrus etiam in custodia detentus et mane ad necem pro- ducendus, dormivit securus inter milites se cus- todientes, Act. XII. quiescens nimirum in Dei providentia, cui se curæ esse sciebat, paratus vel vivere vel mori, prout Deus notat expedire ad suam gloriam et Ecclesiæ bonum. Deus ergo custos ejus interim non dormivit, sed per an- gelum eum morti et carceri eripuit. Unde S. Pe- tri dogma hoc fuisse: Nos Christiani de nulla re vel eventu solliciti sumus, sed in Dei provi- dentia plane conquiescimus; scientes nos illi curæ esse ac ab eo per omnia dirigi, ut cuncta nobis cedant in bonum, scribit S. Clemens initio recognit. Etiam in saxeo cervicali suaviter dor-

mivit Jacob, quia vidit interim angelos juxta se vigilantes, euntes et redeuntes, Deumque supra se scalæ innixum, Gen. XXVIII. Sic in rigidis- simo vitæ genere et eremo, hilari semper et se- reno animo fuit S. Antonius, ut vel ex hoc nos- ceretur solo aspectu, ut in ejus vita Athanasius. Similiter S. Martinus nunquam visus est iratus aut mæstus, sed semper sibi similis, pacatus et compositus, quia quidquid illi acciderat de manu Dei accipiebat, cujus se voluntati intime conjunxerat, ut in ejus vita Sulpitius.

V. Cælum in terra sortitur. Quid imprimis intellexit Alphonsus Aragoniæ rex, qui rogatus quem in terris judicaret beatum, respondit: Qui seipsum Domino Deo summa pietate et affectu committit, et omnia, quæ illi eveniunt, non ali- ter quam rem a Deo factam laudat et acceptat, Panormit. in ejus vita. Habuit suum cælum Christus et gloriam in anima beatificam etiam in ipsa cruce et summis doloribus; ita qui Dei voluntati affixus est, cælum suum habet in ani- ma, tametsi interim adversa patiat. Cælum licet infra tonet, supra nubes tamen semper tran- quillum et pacatum est, ita animus justus Deo inhæ- rentis. Arsit rubus Moysi ostensus, interim tamen incombustus fuit, Exod. III. Sic patiuntur justi, interim tamen sunt læti. Inde dixit Job, cap. XXX. *Mirabiliter me crucias*, id est, ærumnis me exer- ces in corpore et interim lætitia perfundis in animo. Persa aliquando hostem territurus dice- bat: *Cras sagittis nostris solem obscurabimus*. Cui respondit hostis: Bene narra, in umbra enim melius præliabimur, Valer. Max. l. III. c. VII. Idem dicunt justii in tribulatione positi. Prævide- rat aliquando S. Remigius Rhemensis episcopus jam senex annonæ caritatem in sequentem an- num: ideoque magnam frumenti copiam colle- gerat pauperibus alendis. Pupugit hoc impro- bos aliquos, qui cum non perspicerent, quor- sum illi acervi comportati forent, horreum in- cenderunt. Refertur celeri nuntio res hæc ad antistitem, qui mox advolans vidit flammam jam totum pene horreum esse depopulatam. Itaque equo descendit et cum spes non esset ignis sopiendi, propius ad eum stetit tamquam se calefacturus, aitque: Semper bonus est focus præsertim seni, subjiciens id Jobi; Dominus de- dit, Dominus abstulit.

Quare, auditores, quisquis tranquillo semper esse animo et cælum habere in terra vult, istos imitetur, Deo se conformet, etc.

CONCIO VI.

DISCERNIMEN BONÆ ET MALÆ CONSCIENTIÆ.

- I. Conscientia bona parit gaudium, mala tristitiam. — II. Bona parit quietem, mala perturbationem. — III. Bona parit securitatem, mala timorem. — IV. Bona parit fiduciam, mala diffidentiam. — V. Bona parit gloriam, mala confusionem.

THEMA.

Ipsa vero dormiebat. Matth. VIII.

Refert Macrobius, l. II. Saturn. cap. IV. Au- gustum Cæsarem cum ob ingentes curas sæpe multas noctes duxisset insomnes, et aliquando intellexisset vendi suppellectilem cujusdam equi- tis Romani, qui tametsi ingentem pecuniarum summam debebat, nihilo tamen tristior, sem- per id celaverat, jussisse sibi ex ejus rebus emi culcitram quod diceret eam sibi ad somnum fore ideonam, in qua ille tam obærat, som- num capere potuerit. Aliquid ergo simillimum emerem, si liceret mihi, a Christo Domino et qui- dem ex hodierno evangelio. Ecquod vero illud cervical, in quo dormit securus, non quidem ullis obærat debitis, sed magnis obrutus fluc- tibus et in media tempestate navigans. Ait quippe S. Marcus, cap. IV. *Et erat ipse in puppi super cer- vical dormiens*. Dormiebat certe, sed aliter ac nos, nam antequam ad somnum se componeret, futu- ram præseebat tempestatem: dum dormie- bat, præsentem jam videbat: et interim tamen nihilominus, cæteris omnibus timentibus, suavi- ter ipse et secure dormit. Qua in re exprimitur securitas potestatis, ait S. Ambrosius, in c. VIII. Luc. quod omnibus timentibus solus intrepidus quiescebat. Hoc igitur cervical quid aliud desi- gnat, nisi bonam conscientiam? In hac enim quisquis cubat, etiam inter ipsos fluctus. *Bona est substantia*, inquit Ecclesiasticus, cap. XIII. *cui non est peccatum in conscientia*. Quam vero bona sit hæc substantia et culcitra, quam durus item lectus conscientia mala videamus.

I. Conscientia bona parit gaudium, teste Salo- mone, Prover. XV. *Secura mens quasi fuge convi- vium*: et Ecclesiastico, cap. XXX. *Non est oblecta- mentum super cordis gaudium*. Nascitur gaudium in conviviis ex mero largius hausto, quod obli- vionem tristitiæ et miseriarum inducit; tale porro merum est conscientia bona. Unde a Plu- tarcho, in moral. comparatur herbæ, quæ nepenthes dicitur et oblivionem tristitiæ gignit. Ut nepenthes herba, inquit, addita poculis omnem discutit tristitiam; ita mens bona. Nascitur item gaudium ex cordis dilatatione, uti timor ex cons-

trictione. Atqui bona conscientia nullo vinculo constringitur, nulli quidquam debet, sed velut in latissimo campo discurret pro suo libitu. Unde Cicero, Tuscul. II. ait: *Nullum theatrum virtuti conscientia majus est*: et Seneca, epist. XXVII. *Sola virtus, inquit, præstat gaudium perpetuum, secu- rum, etiamsi quid obstat, nubium modo intervenit, quæ infra feriuntur, nec unquam diem vincunt*. Bona igitur conscientia cito dissipat nubes si quæ advolant, tristitiæ, velut solis radius, et se recolligit ad suam serenitatem.

Contra vero conscientia mala parit tristitiam. Hinc concidit facies Cain, Genesis IV. Sanctus Ambrosius: « Cain tristis factus est, inquit, quia propria conscientia intellexit Deo sacrificium suum non probatum. Quando enim mens sibi recta est, conscientia gratulatur, vel infusione quadam spirituali repletur animus gaudio, cum alicujus vel studiæ vel operæ a Deo probantur, etc. » Experientia etiam testis est, nunquam vere lætos esse qui gravi aliquo scelere obstricti sunt; quia conscientia accusante semper infestantur, et cor eorum coangustatur. At licet externe præ- ferant forte aliquam lætitiæ, ea tamen vera et solida non est, quia in corde non est. « Nam si- cut qui in carcere habitant, (ait S. Chrysostomus, homilia XXII. de nequitia repulsa) capitis dam- nationem operientes et mortem, etsi deliciis abunde fruuntur, vitam agunt maxime moles- tam et anxiam; sic qui improba conscientia mo- lestantur. » Talibus enim licet multa narrentur vel represententur læta, cor tamen interim semper palpitat: sic et male sibi consciis. Exemplo est Theodosius imperator, qui ob eadem innocen- tium Thessalonicae factam, a S. Ambrosio ex- communicatus, et ab Ecclesia exclusus, majorem in modum exagitabatur: et Rufino familiari suo, qui illum bono animo esse jubebat, humi prostratus cum lacrymis: « O Rufine, inquit, tu mea mala non sentis: ego lamentor et gemo calamitatem meam, quia servis quidem et mendicantibus aperta sunt templa Dei, et proprium Dominum ingredienti licite exorant: mihi vero ingressus ad eum non est, insuper etiam cæli mihi sunt clausi. » Hæc dicens singultibus verba singula interrompebat, neque quievit, donec nexus anathematis solveretur, Theodor. histo- riar. trip. IX. cap. XXX. *Vis ergo nunquam esse tristis?* inquit Isidorus, l. II. soliloq. *Bene vive.*

II. Conscientia bona parit quietem et tran- quillitatem, ita ut non moveatur aut irretetur obtrecta- torum injuriis, juxta id Sapiens, Proverbiorum XII. *Non contristabit justum quidquid ei acciderit*. Velut enim ericius in globum convolutus in medio canum adlatrantium et ringentium se-

curus conquiescit, sic bona conscientia inter obtretores. Ita Christus obtretores suis pessimam ei calumniam objicientibus: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, et dæmonium habes?* pacatissime respondit: *Ego dæmonium non habeo.* Sic et S. Augustinus contra Secundinum hæreticum, capite I. scribit: *Senti de Augustino quodlibet, sola me conscientia in oculis Dei non accuset.* Et S. Gregorius, homilia IX. super Ezechielem: *Quid prodest, inquit, si te omnes laudant, et conscientia accuset; aut quid obesse potest, si omnes tibi derogant, et conscientia defendat?* Hinc sæpe viri justii injurias suas, cum facile possent propulsare, negligunt, et mendacia de se sparsa rident, sola innocentia conscientia contenti. Ratio quia habent unum judicem intra se infallibilem, qui absolvit eos, conscientiam scilicet. Et sperant adhuc alium majorem, se similiter absoluturum Deum: homines vero aliter judicantes vident decipi: ideoque eos rident ac contemnunt.

Contra conscientia mala perturbationum motus gignit, et tacta in vulnere, mox reclamant oblatratque velut canis lapide petitus. Ideo tales fugiunt lucem et habitare malunt in tenebris et sepulcris, uti dæmoniaci illi Matth. VIII. Fugiunt item viros justos, sicut scabiosa capita pectinem. Sic Herodes a multo tempore cupiebat videre Christum, Luc. XXIII. nunquam tamen eum ad se accersivit aut vocavit, cum facile præsentem habere posset; quia nimirum male sibi conscius erat et metuebat, ne uti a Joanne, ita et ab ipso reprehenderetur de incestu.

III. Conscientia bona securitatem et audaciam parit juxta id Proverbior. cap. XXVIII. *Justus quasi leo considens, absque terrore erit.* Solus leo absque pavore dormit aperto loco, cæteræ feræ ad somnum capessendum, latebras quærent: ita solus justus nihil quod timeat, habet, sive dormiat, sive vigilet, sive inter hostes, sive inter amicos sit. Cujus rei exemplum videre est in Petro, qui in carcere constitutus et postera die producendus, ac Judæis tradendus ad necem, dormivit secure inter duos milites, vinctus catenis duabus, Actorum XII. Item in Sancto Tiburtio martyre, qui dum a Fabiano juberetur oculis Christi fidem abnegare, aut variis tormentis excruciarî, intrepide respondit: *Decerne quod lubet.* *Omnis nobis vilis est pœna, ubi pura est comes conscientia,* Surius, tomo I. in vita S. Sebastiani. Item in S. Hilarione, qui inventus et interrogatus a latronibus: *Quid faceres, si latrones ad te venissent?* respondit: *Justus latrones non timet. Atqui occidi potes, inferunt. Possum, ait Hilarion, sed ideo latrones non timeo, quia mori paratus sum.*

Hanc animi magnitudinem conspicati latrones resipuerunt: idem etiam moriens animam suam sic allocutus est: *Egredere, quid times, egredere, anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annis servivisti Christo, et mori times!* Hieronymus, in vita. Denique S. Ægidius comes S. Francisci dicere solebat: *Licet lapides et saxa de cælo pluerint Dominus, non nocebunt nobis si tales fuerimus, quales nos ille requirit.* Ferunt Germanorum legatos olim ad Alexandrum Magnum missos, postquam omnia ex votis cum illo peregissent, ab eodem interrogatos, quidnam esset in humanis rebus, quod præ cæteris Germani extimescerent, (etenim nominis sui magnitudinem ad illos penetrasse, seque præ omnibus sibi formidandum esse responsuros putabat) Germani præter spem responderunt breviter, se illud ante omnia timere, ne forte in se cælum aliquando ruerit. Quo dicto nihil motus Alexander id tantum subdidit: Germanos omnes arrogantes esse. Refert Hieronymus Zieglerus, de viris illustribus Germ. c. XII. Sed absque arrogantia dicere justii possunt, se ne hoc quidem metuere ne aliquando in se cælum ruat. Quod enim satyricus ille poeta, l. III. ode III. cecinit, sibi usurpare possunt quicumque conscientiam habent integram: *Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruina.*

Contra vero conscientia mala timorem, et pusillanimitatem gignit. *Semper enim præsumit saxa,* inquit Sapiens, c. XVII. *perturbata conscientia.* Exemplum toti orbi propositum est Cain, qui ob cædem fratris pavore conscientia occupatus, et præterea membrorum tremore punitus semper undique sæva præsumpsit, et se ad necem quæri putavit, cum tamen præter ipsum et parentes ejus nullus adhuc homo in mundo esset: *Omnis qui invenerit me, occidet me,* inquit. Quid times, o Cain? Nemo adhuc in mundo est præter parentes tuos, et tu ab illis occidi metuis? Sed persequeretur illum sanguis fratris ejus, qui ad cælum usque clamabat; deinde ipsa terra, bestia et elementa omnia, tamquam exactores obedientia Deo debita, quam ipsi ei præstant, Cain minime præstitit. Unde non immerito timuit, ne ab illis opprimeretur. Vidit et posterior ætas plura ejusmodi exempla. Dionysius Syracusanorum tyrannus, plurimorum sibi malorum conscius, non modo amicissimis etiam non fidebat, sed tonsoris quoque metu, tondere filias suas docuit; quarum ipsarum, postquam adultæ ætati appropinquabant, manibus ferrum non ausus committere, instituit, ut candentium juglandium aut nucum putaminibus barbam sibi et capillum adurerent. Atque etiam cubiculare lectum perinde, quasi castra, lata fossa cinxit, in quem se

igneo ponte recipiebat, cum forem cubiculi, extrinsecus a custodibus operam, interiorem clastro ipse diligenter observasset, Valer. Max. l. IX. c. XIV. Caligula imp. item flagitiosus valde, qui propriis se sororibus commiscuit, et omnibus Romanis optavit unum collum, quo omnes ictu uno posset interimere, non plus quam tribus horis nocturnis quiescebat, ac ne his placida quiete, sed pavida miris rerum imaginibus. Nam ad minima tonitrua connivere, caput obvolvère, ad majora vero proripere se e lecto, imo sub lectum condere solebat, Sueton. c. L. et LI. Unde patet quam vere olim de talibus dixerit Deus Levit. XXVI. *Dabo pavorem in cordibus eorum, in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folii volantis, et ita fugient quasi gladium, cadent nullo persequente.*

IV. Conscientia bona parit fiduciam et spem certam impetrandi quidvis a Deo, et consequendi tandem gloriam, teste Sancto Joanne dicente: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quicquid petierimus accipiemus ab eo,* I. Joan. III. Exemplo est Ezechias rex, qui cum accepta mortis sententia orasset ad Dominum: *Memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate et corde perfecto, et quod placitum est coram te fecerim,* statim jussit Deus reverti prophetam ad eum ac dicere, donatos illi esse annos adhuc quindecim, IV. Reg. XX. Similiter Susanna in sua afflictione, quæ innocens damnabatur, suspiciebat ad cælum: *Erat enim cor ejus habens fiduciam in Deum,* ut dicitur Dan. XIII. et mox sensit Dei opem; puer enim Daniel, excitatus Dei spiritu, eam liberavit.

Deinde, fiduciam consequendi vitam æternam ejus in se pignus satis certo intuetur. Unde vir bonæ conscientia, velut alter Moyses terram sanctam a longe conspexit, Deut. XXXIV.

Conscientia vero mala parit diffidentiam. Quid enim a Deo petere audeat vel expectet, qui se hostem ejus esse novit? Exemplo est miles ille impœnitens, de quo S. Beda, l. V. hist. Angl. cap. XIV. anno 704. qui ostenso sibi a duobus angelis bonis libello bonorum operum suorum, et postea ingenti libro peccatorum suorum a dæmonibus proposito, cum a rege Angliæ Coenredo moneretur ad penitentiam agendam, desperans negavit id fieri posse: *Quia pessimam,* inquit, *michi conscientiam præ oculis certus habeo.* Vidē in catechism. hist. cap. V. tit. LVI. ex I. Nihil aliud hi libri erant nisi conscientia militis sub tali figura ei proposita, qua ipse perterritus spem omnem impetrandæ salutis abiecit.

V. Conscientia bona parit gloriam, juxta id apostoli, II. Corinth. I. *Gloria nostra hæc est, tes-*

tis conscientia nostra, Græce habetur gloria, *gloriatio,* q. d. in hoc testimonio gloriari possumus, et in hoc gloriabatur coram Concilio, Act. XXIII. et XXIV. Id certe fecit Christus cum palam coram inimicis suis dixit: *Quis vestrum arguet me de peccato?* Joan. VIII. Sic Samuel postquam imperasset Israeli, et illi regem sibi dari postulasset: *Loquimini de me,* inquit, *coram Domino et coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam manus accepi,* I. Reg. XII. Similiter fere S. Paulus discedens a Mileto dixit ad majores Ecclesiæ inter alia: *Contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quominus annuntiare omne consilium Dei vobis, etc.* Et: *Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi sicut ipsi scitis, quoniam ad ea quæ mihi opuserant et his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ,* Act. XX. S. Martinus etiam discedens ex hac vita cum adstantem vidisset dæmonem: *Quid hic adstas,* inquit, *cruenta bestia? Nihil in me funesti reperies,* Sulpit. in ejus vita. Hinc prodire audet absque rubore in conspectu hostium, judicum, et ipsius Dei, uti S. Stephanus, cujus faciem viderunt iudices tamquam faciem angeli stantis coram se et accusatoribus, Act. VI. Unde S. Hieronymus dixit: *Bona conscientia nullius oculos fugit.* Maximam certe gloriam pariet nobis hoc testimonium in morte cum stabimus ante tribunal Dei coram hostibus nostris, etc.

Conscientia vero mala confusionem parit et obmutescere facit; quemadmodum illi fecit, qui sine veste nuptiali deprehensus et objurgatus obmutuit, Matth. XXII. Necnon Judæis illis qui adulteram lapidaturi, cum legissent unusquisque peccata sua descripta in terram a Christo (juxta communem sententiam) confusi omnes exierunt *unus post unum,* nihil amplius de lapidatione cogitantes, Joan. VIII. denique primis nostris parentibus qui post admissum peccatum vocem Dei audientes conscientia urgente se absconderunt, pudorem peccati non ferentes, Gen. III. Et quomodo confundentur ibi, qui secum Uriæ litteras deferunt ad judicium contra seipsos, quando illæ e sinu eorum protrahuntur in eorum condemnationem? Quod si Urias scivisset, se mortis suæ litteras gestare secum, num illas non abjecisset vel astu quodam emendasset? At nos scire possumus, quid in conscientia scriptum sit. Abjice ergo et corrige illam, si sapis, ne ipsa te condemnet.

CONCIO VII.

DE HUMANE VITÆ MISERIIS.

I. Miseriæ corporis : 1. Sordes. 2. Nuditas. 3. Fragilitas. 4. Inconstantia. 5. Fluxus perpetuus. — II. Miseriæ animi : 1. Angustia et insaturabilitas. 2. Anxietas continua. 3. Ignorantia et inconstantia. 4. Passiones rebelles. 5. Peccatorum cunus. — III. Miseriæ externæ : 1. Calamitates. 2. Dæmonum insidiæ. 3. Laquei peccandi. 4. Timor mortis. 5. Timor Dei iudicis.

THEMA.

Domine, salva nos, perimus. Matth. VIII.

Videmus, auditores, humanæ conditionis statum, in hodierno evangelio quasi penicillo quoddam depictum, cum videmus Christum cum discipulis navigantem trans mare Tiberiadis. Quid enim navicula, nisi corpus hominis? Quis in ea navigans, nisi animus ejusdem? Quid mare, nisi mundus? Quid fluctus, nisi calamitates et tentationes in hominem undique irruentes? Quid portus, e quo solvimus, nisi maternus uterus? Quid portus, ad quem tendimus, nisi terræ sepultura? Quare optime dixit S. Gregorius, lib. VI. epist. XXVI. *Vita nostra naviganti similis est. Idemque testantur in inferno hi qui peccaverunt, ut ait Sapiens, Sap. V. Tamquam navis, inquit, quæ pertransit fluctuantem aquam, etc. sic et nos nati continuo desivimus esse.* Confirmatur denique ipsa hominis nativitate, in qua præscinditur infantis mox nati umbilicus, quo matri alligatus adhæserat veluti navis terræ, funibus anchorariis, et sicuti his sublatis aut abscissis, navis a portu solvit et alto mari creditur: ita etiam infantulus ex portu materni uteri solvens, præciso umbilico, vorticoso hujus vitæ pelago committitur et fertur ad portum oppositum mortis et sepulturæ, ubi animus de navi exscendens in terram alteram vitæ futuræ ingreditur, sive ea sit viventium, sive mortuorum. Quare huic typo vitæ nostræ insistentes, clare inspicemus, quid sit vita nostra et quam multis obnoxia miseris.

I. Si spectemus corpus hominis, id navi est simillimum. Primo, sicut naves foetere solent, partim propter picem, qua juncturæ trabium opplentur, partim ob sentinam, quæ aquam injectam colligit et vetustate corrumpit; ita homo nihil est aliud, quam vas sordidum; primo, quidem ex foetido spermate genitum, cujus typus fuit limus ille, ex quo factus Adam; deinde, in omni vita circumferens in ventre, quasi in sentina, ubi quidquid infunditur, mox acescit et corrumpitur, fimum et foetorem. Unde S. Bernardus, in medit. *Cogita, inquit, o homo, quid fuisti, quid es,*

quid eris : fuisti sperma foetidum, es vas stercoreum, futurus esca vermium. Quare sicut naves tametsi de procul quidem pulchræ apparent et ornatae, ubi prope accesseris, foetidum odorem continent; ita etiam homines, uno verbo, fimeta sunt candida nive tecta. Arborea, herbae, bestia multæ gratissimi odoris excrementa fundunt, at homo præ cæteris omnibus maxime abominanda egerit. Hoc considerans Plotinus ethnicus, nunquam pati voluit corporis effigiem delineari, indignum ratus thecam animi tam vilem penicillo depingi. Hoc attendens Dei Filius noluit modo naturali concipi ex muliere.

Secundo, sicut navis cum in mare mittitur (quod non sine labore fit) nuda et inermis est ac vacua destituta velis, remis, armis, bombardis, commeatu, etc. ita in lucem prodit homo (quod maximo matris dolore fit) nudus et inermis, infirmus et ignorans, omnique consilio ac subsidio destitutus, loqui nescit nec seipsum juvare potest, nec aliorum implorare opem: solum ploratum edit, quæ prima ejus vox est, ut miserias suas indicet. Animantia cætera cum vestibus suis nascuntur et calceis; alia squamis tecta, alia plumis, pilis, lana, corio, testis; uti et arborea corticibus: item suis armis instructa, veluti cornibus, unguibus, dentibus, calcibus, rostris, etc. Ad hæc mox ut nascuntur, victum sibi parare norunt, natant, volant, repunt, currunt, et sine ullo duce ad matris ubera pergunt; solus homo nudus prodit, omnibus cæli injuriis expositus; neque comedere quidem potest, nisi doceatur, nedum victum parare; ambulare nescit, unis aliorum gestandus est; parentes non agnoscit, non sapit anteseptennium, nec ridet ante quadragesimum ab ortu diem; defendere se non potest, nisi in robusta ætate et aliunde partis armis.

Tertio, sicut navis est strues quædam lignorum fragilis ex trabibus vel asseribus et clavis compacta, quæ facile læditur et illiditur, ideoque semper reficienda semperque exhaurienda est aquis superne injectis et per rimas penetrantibus; denique quatuor tantum digitis a morte et submersione distat quantum scilicet eminent super aquam. Ita corpus hominis ex ossibus et nervis (ut ait Job) compactum fragile et infirmum est. Pestilens odor, infectus aer, sol ferentior, hiems acrior facile id prosternunt, et sæpe prorsus enecant. Perit alius ex haustu aquæ frigidæ, alius ex vini ebrietate, alius ex doloris vehementia, alius ex mera formidine et phantastico timore, alius ex morsu felis aut serpentis. Taceo quotidianas infirmitates, catarrhos, tusses, phlegmata, nauseas,

etc. unde necessarium est superfluos et noxios humores subinde exhaurire per potiones et sirrupos et venæ sectiones et alia hujusmodi corpusque male affectum medicorum ope resarcire, quæ si fiat, brevi obruetur et mergetur.

Quarto, ut navis semper nutat fluctuatque, nunquam fixo loco consistens; ita corpus hominis mutationi est obnoxium; modo enim in infantia est quadrupes, modo in senecta tripes, modo in reliqua ætate bipes, modo florens et venustum in juventute, modo deflorescens in ætate virili, modo canum, horridum et incultum, videlicet in senecta. Unde Job XIV. dicitur: *Fugit velut umbra et nunquam in eodem statu permanet.* Rursum pueritia imbecilla est tam animo quam corpore; juvenus animo imbecilla, corpore robusta; ætas matura et animo et corpore robusta; senectus animo robusta, corpore imbecilla; ætas autem decrepita tam animo quam corpore rursus imbecilla, quemadmodum et navis in prora est angusta, in medio lata, in puppi rursus angusta. Pueritia lepida et jucunda est, ætas virilis gravis, senectus vero morosa.

Quinto, ut navis semper in progressu et cursu est, eoque velocissimo ad portum tendens destinatum, licet navigantes edant, ludant, dormiant et quandoque decepti putent sese stare, civitates autem, arborea et regiones sibi occurrentes currere; ita corpus nostrum continuo ad mortem tendit, quot respirationibus tot passibus, et sicut navis singulis remorum tractibus impellitur ad progressum; ita corpus nostrum singulis cordis pulsibus. Unde Sanctus Gregorius, loc. supra citat. ait: « Is qui navigat, stat, sedet, jacet, vadit, quia impulsu navis ducitur; ita et nos sumus, qui sive vigilantes, sive dormientes, sive tacentes, sive loquentes per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. » Et interim tamen amore proprio decepti nescimus nos ad mortem euro citius currere: alios cito morituros putamus, nos vero diu victuros, quasi vita nostra in nostro esset arbitrio. Unde S. Hieronymus, ep. ad Nepot. ait: *Quotidie morimur et quotidie commutatur et contra fidem atque experientiam ipsam nos esse æternos credimus.* Et iterum: *Nemo enim tam fractis viribus et sic decrepita senectutis est, ut non putet se adhuc annum unum supervicturum.* Ita S. Hieronymus.

II. Si spectemus animum hominis, similis is est navarcho, qui vehitur in navi eamque regit et imperat remigibus. Habet vero ille suas etiam miserias. Nam primo, anguste habitat, alligatur navi, expatiari nequit, camera angusta una alterave contentus esse debet, tametsi comes sit aut princeps. Ita animus rationalis ad summa

bona natus in corpore humano nimis anguste habitat, ideoque semper male habet, altiora quaerit, melioribus invidet, nulla lenique re creata satiari potest. Nemo non statum suum desiderat cum alterius statu commutare, quia eum multo beatiorum putat. Agricola mercatores, mercatores agricolas beatos esse dicunt. Privati magistratibus invident honorem; magistratus contra privatis otium et quietem. Clerici contendunt statum laicorum esse securiorem et tranquilliorum; hi contra illorum preferunt statum. Nemo sua sorte contentus est. Quot imperatores et reges sponte sua abdicarunt se imperio? Quot episcopi episcopatu? Velut enim ægri vertunt se in lecto nunc ad hanc, nunc ad illam partem, requiem quaerentes nec tamen inveniunt, quia nesciunt causam suæ inquietatis infirmitatem esse internam: et ita mortales. Annon audimus Amanem dicentem: *Cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardocheum Judæum sedentem ante fores regias?* Esth. V. Nimirum homo factus est æternitatis capax, ideo nulla re fluxa satiari potest.

Secundo, navarchus semper anxius et sollicitus est, quomodo navem regat, quomodo de commeatu navigantibus provideat, quomodo se defendat contra hostiles naves, quomodo divitiis navem suam oneret et salvus domum redeat. Ita mortalium animi perpetuo exagitantur, timore, mœrore, dolore, etiam sine causa, ut possint dicere cum Job, cap. VII. *Quare factus sum mihi metipsi gravis?* Quantas enim molestias sustinent mortales vel pro lucrando pane? Annon in annis suis sicut aranea meditantur, Psalm. LXXXIX. dum eviscerant seipsos variis cogitationibus, quomodo retia texant ad parandum lucrum, tametsi vile et incertum?

Tertio, plurima ignorat et propterea etiam inconstans est in consiliis suis. Nescit sæpe quod tendat, hostibusne an amicis occurrat, etc. Ita intellectui humano parum inest luminis, multum vero caliginis; pauca novit, plurima ignorat; et quod novit, cito obliviscitur; ignorata difficulter discit; fallit semetipsum; ampliora scire desiderat, et desiderando exerceatur: quo plura enim novit, eo plura se ignorare videt, sicut qui ascendit montem, plura semper apprehendit ac distantiora, quæ distincte nondum vidit. De inconstantia quid dicam? Mutatur in horas, cito ab opinione et sententia recedit, quam concepit; sæpe stolidissimus cum sit, sapientissimum se credit: nunc lætus est, mox tristis; nunc quietus, mox turbatus; nunc dubius, mox certus; nunc timidus, mox audax; nunc vult, mox non vult; nunc ridet, mox flet. Et ut semel dicam,